UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jnstitutio moralis philosophie metrica

Horatius Flaccus, Quintus

Dauentrie, 1504

Ad Bullatium

urn:nbn:de:hbz:466:1-70184

Visual Library

¶Liber Primus

Pellebat. donec minor incertamine longo
Implorauit opes hominis frenumq; recepit
Sed poſtquam victor violens diſceſſit ab hoſte
Non equitem dorſo non frenum depulit ore
Sic qui pauperiem veritus potiore metallis
Libertate caret: dominum vehet improbus atq;
Seruiet ętern um: qui paruo neſciet vti
Cui non conueniet ſua res: vt calceus olim
Si pede maior erit: ſubuertet ſi minor vret
Lętus ſorte tua viues ſapienter ariſti
Nec me dimittes incaſtigatum: vbi plura
Cogere q̄ ſatis eſt: ac non ceſſare videbor
Imperat aut ſeruit collecta pecunia cuiq;
Tortum digna ſequi potius q̄ ducere funem
Hęc tibi dictabam poſt fanum putre vacunne
Excepto quod non ſimul eſſes: cętera lętus.

¶Argumentum epiſtole. xi.

Eodem pene argumento vtitur. quo ⁊ in pleriſq;. Sed miro ingenio eandem rem mirifice variat. Ergo ſub nomine Bullatij amici ſui dominis omnino plurima cupientis. et propterea varias regiones queſtus cauſa petentis. perturbationes animorum damnet. negatq; quenq; beatum eſſe poſſe qui illis modum non ſtatuit

¶Ad Bullatium

Quid tibi viſa chios Bullati notaq; leſbos
Quid concinna ſamos. quid creſi regia ſardis
Smyrna quid ⁊ colophon maiora minoraue fama
Cuncta ne pre campo ⁊ tyberino flumine ſordent
An venit in votum atalicis ex vrbibus vna

Epiſtolarum.

An lebedum laudas odio maris atq; viarum?
Scis: lebedus quid ſit gabijs deſertior atq;
Fidenis vicis: tamen illic viuere vellem
Oblitusq; meorum obliuiſcendus: et illis
Neptunum procul e terra ſpectare furentem
Sed neq; qui capua romam petit imbre lutoq;
Aſperſus volet in caupona viuere: nec qui
Frigus collegit: furnos et balnea laudat
Ut fortunatam plene preſtantia vitam
Nec ſi te validus iactauerit auſter in alto
Idcirco nauem trans egeum mare vendas
Incolumi rhodos et mytilene pulchra facit q;
Penula ſolſtitio: campeſtre niualibus auris
Per brumam tiberis: ſextili menſe caminus
Dum licet et vultum ſeruat fortuna benignum
Rome laudetur ſamos et chios et rhodos abſens
Tu quamcunq; deus tibi fortunauerit horam
Grata ſume manu: nec dulcia differ in annum
Ut quocunq; loco fueris: vixiſſe libenter
Te dicas: nam ſi ratio et prudentia curas
Non locus effuſi late maris arbiter aufert
Coelum non animum mutant qui trās mare currūt
Strenua nos exercet inertia nauibus atq;
Quadrigis petimus bene viuere: quid petis hic eſt.
Eſt vlubris: animus ſi te non deficit equus.

Argumentum epiſtole. xij.

Laudat vitam Iccij ſi fructibus agrorum ſuorum quis ſibi ſatis ſunt bene liberaliter q; vtatur

Ad Iccium